The
kat. komp.
59619
C. R. BIBLIOTHECA UNIVER. JAGELL. CRACOVIENSIS
III Mag. St. Dr.
Teol. 4108.

Growski Joannis S. J. Summum Solis theologici solstitium.

—

Theologia
Laudat. Theo

Gzowski Joannis S. J.

Summum Solis theologici solstitium

SUMMUM
SOLIS THEOLOGICI
SOLSTITIUM

Sub ipso prope Æquinoctio;

SUB PRINCIPE

Celsissimi & Faventissimi CAPRICORN

SIGNO,

IN NOVO

Munificentissimi GAŁCZYNIANI *ASTR*

ZODIACO

DEMONSTRATUM

A

Patre JOANNE GZOWSKI Societatis JESU.

In PRIMATIALI eiusdem Societatis Athenæo Calissiensi,

Anno SOLIS JUSTITIÆ exorti 1712.

I XVII. 3.5 – I XVII. 8

Typis Collegii Calissiensis Societatis JESU.

IN AVITVM STEMMA

Illustrissimæ Domus GAŁCZYNIANÆ



59619 III

Ursa minor, majorq; Polo est: GAŁCZYNIUS Ursus
Annon Maximus est, omnia summa tenens?

AD REVERENDISSIMUM
ET
Perillustrem Dominum
D. JOANNEM
De GAŁCZYNO
GAŁCZYNSKI,
Ecclesiarum, Łoviciensis Collegiatæ Canonicum, Unjejoviensis Decanum, & Officialem, Białcensis Præpositum, Theologici Collegii Calissiensis Societatis JESU Mecænatem Munificentissimum.

QUi Tuô beneficiô summum hîc nuper fecit solstitium; redit & descendit ad Te sol Theologicus ME-CÆNAS AMPLISSIME. *Non aliter nimirum ille ad Tui Nominis splendorem potest se sistere; nisi simul summum faciat solstitium: ut palam sit; quod per summa nonnisi eluctari ad Te possit; & ultra summa alia, adhuc Te habeat assequendum; qui summorum es compendium. Certè ubi rectiùs*

ſummam ſolis Theologici ſtationem figere poſ-
ſimus? quàm ad Tuum honorem; qui ita à Ma-
ioribus Tuis Maximus, in ſumma ipſius No-
minis Tui virtutumq; ſimul ac ſcientiarum
auge conſiſtis; ut omnia ſplendorum incremen-
ta, & ſumma omnia quæ mereris infra Te de-
ſpicias; nec dignari illa velis, niſi contemptore
oculo. Cui æquius ſumma Theologica à nobis
debeatur? quàm Tibi; qui virtutum Theolo-
gicarum ac ſcientiarum planè es ſumma; qui
ultro, liberaliſsimô Tuô munere, ad Divinæ glo-
riæ cenſum, ſummam Theologicam Te debere
nobis voluiſti; qui demum poſt ſumma omnia,
(quæ tot tantiſq; cæli incrementis eouſq; egi-
ſti;) ſummam Theologicam hic ita plantas, ad
ſummumq; hanc plantam deducere medita-
ris; ut in luce publica ſit, Te & non poſſe agere
niſi ſumma, & vel in planta ſummum eſſe. At
parum eſt; ſolem etiam in Te, nec orientem
iam, ſed in ſummo ſolſtitio conſiſtentem, quid-
ni adoremus Theologi? cùm Tibi, ſolis inſtar,
officium an iam natura ſit, (tot annis vide-
licet exercitum in naturam pæne illud abiit;)
aliis dicatis cælo Aſtris tam prælucere, quàm
Præ-

Prælatum eſſe. Quid plura? an non meridiano ſole clarius, ſummum ſolis Theologici ſolſtitium, in Te MECÆNAS MUNIFICENTISSIME? *dum præter tot, quæ palam ſunt, à ſuprema Theologicâ Tuâque ſimul & vel hoc ipſo Tuâ quia Theologicâ virtute, profuſiſſima in Minimam Societatem noſtram, imò Tuam quia Maximo Tuo Nomini obæratiſſimam, in univerſam hanc Primatialem Archidiæceſim Tuam, in Metropolim Regni & ſimul in Regnum ipſum, in varios ſacros cætûs imò in cælos ipſos Tua beneficia, etiam in illos (quos iniquior fortuna infra ſuam ſortem proiecit & velut infra aliam terræ portionem profundiùs depreſſit:) aureos Tuæ Munificentiæ, vel me toties teſte & admiratore Tuæ virtutis, ſpargis radios, occultô quidem beneficiô ſed apertiſſima virtute, & tantò magis aperta virtute quantò minùs apertô beneficiô. Sic & communis ſol, (ſi Philoſophis fidem damus;) tantò magis prodigioſam & pretioſam, tantò maiorem magiſq; activam virtutem ſuam exhibet: dum in depreſſa profundiùs terræ parte, occultô radiorum ſuorum beneficiô aurum*

A fundit;

fundit: quàm dum palam aureos per cælum aut super terras spargit radios. Non revoco hic ad calculum alias virtutes Tuas amplissimas; quas cum summâ simul Theologicâ, cælum ipsum, ad calculum imo ad censum gloriæ Tuæ olim revocabit. Nihil superest; nisi ut cuius beneficio, summum Solis Theologici solstitium, hic spectamus; & nostrum, pro Tui Honoris auge, Solem Theologicum hic semper staturum esse scias; & Tuum Munificentissimæ Gratiæ radium, ad summam perennemq; Solis Theologici hic stationem, nunquam non indulgeas; tandemq; cum Sole hic Theologico, Te quoq; in auge lucis publicæ ac splendorum, & quàmprimùm & quàm diutissimè cernamus. Ita vovet, Reverendissimæ & Perillustris Dominationis Tuæ Honori ac Nomini

Æternùm devinctissimus in Domino servus,
& infimus etiam ad Superos Orator.

J. G. S. J.

THeologo-Oratorem hodie acturus, in Vestro consessu Auditores Sapientissimi, id est etiam citra vocem & titulum vel eminenter vel imminenter Theologi, diu anceps hæsi; in quonam Eloquentiæ genere præsentem expediturus essem dictionem; in Demonstrativo genere Demosthenem, an in Deliberativo Cyneam, an potiùs in Judiciali Ciceronem vel cum Hieronymo essem acturus. Verùm licèt non unus sit deplorandis hisce temporibus etiam in Polonia Verres, à verrendis vel cum eversione Regni divitiis aut dictus aut jure dicendus: minimè tamen hìc mihi contra illum cum Cicerone actionem placet instituere; dum non agere sed pati duntaxat licet, causâ hac aut casu potiùs ad arcanum fori Theologici tribunal remissô; si non irremissibilem quispiam existimet. Inter tot inconsulta etiam Patriæ nostræ consilia, mihi & citra omnem deliberationem à Deliberativo genere interim abstinendi est animus. At nec Demonstrativo genere hac tempestate in Polonia Oratoribus fere utendum; dum nihil pæne demonstrari potest, quod ad publicam laudem agatur. Quid itaq; in Polonia opus laudum genere? dum nihil laudandum geritur: nisi quòd hic nobis ad laudem sese offerat, Demonstrativo id est laudum genere tam summè digna scientia Theologica; quàm ipsamet est summa Demonstratio, quia scientiarum summa. Sed quid ego hic actum agam? quid dilaudem Divinam hanc scientiam seipsâ laudatissimam? quæ humanitati rationiq; etiam humanæ ita est consona; ut Divinus ipse protulerit spiritus, *vanos esse homines in quibus non est scientia Dei*: acsi sine scientia Dei, id est sine Theologia, tam inanes & vacui prorsus essent homines; quàm humanum corpus sine spiritu, domus sine incola, *Sap. 13.*

B

incola, concha ſine unione, cælum ſine Numine. At vel ideo à Demonſtrativo id eſt panegyrico genere, ad Sacræ Theologiæ encomium abſtinere hìc cogor; ne Munificentiſſimum illius Mecænatem hìc vel maximè Reverendiſſimum experiar; ſi modeſtiam ſuo honori ſemper infenſiſſimam exacerbare videar, in Authorem Theologiæ meritò redeunte elogiô: quamvis illum nec demonſtrari hìc neceſſe ſit ad laudem; cùm palam ſit & ampliſſimæ panegyris meritum, & meriti Author nec tot libris ſatis prædicandus; quot quantaq; volumina, illius Munificentia, vel ab extero orbe in Theologicum deduxit ſtudium. Proinde quò ſecuriorem reddam, impatientem ſui elogii modeſtiam; non tam Theologo-Oratorem quàm potiùs Aſtrologum Theologicum hodie agam A A; & non niſi ſummum hìc ſolis Theologici ſolſtitium ſub ipſo prope Æquinoctio in novo Zodiaci ſigno ſi non ad oculos certè ad oculum demonſtrabo.

Terrebat equidem, ſuæ obſcuritatis cæcutientiſvè lucis conſcium Theologum; quòd ſub ipſo prope æquinoctio auſpicanda eſſet eo loci Divina hæc ſcientia; dum videlicet jam lux ipſa nocti æqualis & planè concolor videretur; imò plùs longè in dies & ſperari & haberi poſſet tenebrarum quàm lucis. At inſolito aſtrorum prodigio, an prodigioſo favore & munificentiâ, vel ſub ipſo æquinoctio ſummum hìc ſolſtitium advertite: ut æquinoctium illud non aliunde ſuum derivare videatur vocabulum, niſi quòd acceſſu ſolis Theologici jam hìc vel nox ipſa ſit æqua diei; luce ſuâ ſummum diem adæquet; ita (ut quiſpiam vel è Parnaſſi jugo advertit) *ingeminat ſplendore diem.* Quid enim? taceo hìc primum Theologicum Phoſphorum an Præcurſorem, primum Theologiæ authorem (ſi Bellarmino fidem damus Theologi) Diviniſſimum Joannem Damaſcenum: quod gratiarum nomen, proluſit planè, & primo hìc Theologiæ noſtræ Authori & principibus illius in Theologicum ſtudium gratiis. Taceo & portentum illud ingenii, (quô Africa nullum unquam majus

Claud.

edidit,)

edidit,) ſupremum Theologorum Doctorumq; Doctorem Auguſtinum; cùm ſilentio dignius & admiratione, quàm eloquio dilaudari poſſit. Spectate illud, quo nullum illuſtrius, dictionis meæ argumentum in Theologorum Principe, Angelico noſtroq; ſimul Doctore: qui non adumbratis duntaxat radiis, totum ſolem in ſe collegit, totum profundo pectore abdidit ad ſummum Orbi univerſo ſolſtitium. Ita Aſtrorum Princeps in Abyſſum deſcendit, dum in Thomam; ut hoc ipſo deſcenſu, ſummum Orbi faceret ſolſtitium; ſummam lucem exhiberet in Abyſſo. Et certe nunquam clarior, nunquam ſublimior apparere potuit; quàm ubi profundo magni Aquinatis pectore ſeſe abdidit. Spectate ſummam Theologici Principis lucem, A A: ſiderum ille Principem ferens in pectore, quidni integrum cælum animo ſit complexus? Divinior hic Prometheus, non facem unam à ſole vel Dominici Inſigni accenſam, ſed integrum ſolis orbem, ſuo admovet pectori; ut videlicet totum ſimul orbem poſſit animare univerſis lucem dare mortalibus. Nec orbem duntaxat cæleſti igne, ſed cælum ipſum & ſolem ſuo ſpiritu terris animat; dum gerit in pectore: ſic cælum nonniſi & lucem ſpirat utilitati publicæ, an ſuum ſoli Theologico inſpirat animum. O Illuſtrem Aquinatici pectoris partum! o ſolem ſeipſo illuſtriorem! poſtquam hoc corde ſeſe abdidit. Non invidemus jam vobis ſuperi; apud terrigenas etiam ſolem Theologis naſci didicimus; dum ex Principis Theologici viſceribus ſpectamus prodeuntem. Sed quiſquis in pectore ſolem aſpicis; in animo cælum eſſe intellige: ubi cælum credis; Angelos non deeſſe noveris: nec ſol videlicet ſuo cælo, nec cælum ſuis carere poteſt Angelis. At nec aliis opus hìc Intelligentiis cælorum motricibus; terreſtris hic Angelus, felicius aſtra movet; dum ab illo illiq; optimè animata, in noſtrum orbem moventur. Quidni cæleſtes inter Intelligentias illum cenſeamus? qui ita Angelus fuerat; ut etiam Angelicus Doctor diceretur: vel quòd non aliter ipſi docturi eſſent Angeli;

vel quod illi etiam aliquid possent discere à Thoma. Toto cælo hactenus sol erraverit: inter erratica jam sidera nemo illum reponat; dum in Theologici Principis pectore est fixus. Neq; aliud firmamentum Theologico soli opus fuerit; quàm quod sibi firma & immobilis Angelica virtus fecerat. Ad cursum tamen soli in pectore versanti, ut cælestis non desit zona; Angelico Theologicum nostrum Principem superi cingunt baltheo. Si fabulosus quondam Jupiter bovis vultum induerat; ut Europam ferre posset in Cretam; hunc certe Bovem Aquinaticum, (ita Princeps noster principio vocitabatur,) qui sanctiorem etiam nunc sustinet Europam, Deus ipse videtur subiisse: & quidni cælum quoq; se illuc transferat? ubi suum Numen advertit hospitari. In hujus igitur Bovis cælesti Tauro dignioris signum sol descendit; ut doctiori orbi meliorem quam Atticæ noctes vel Cleanthis lucerna affundat lucem. At caput irradiare non ausus; quod videlicet tantum proprii habet luminis, quantum nec mille pararent soles. Et minimè in caput hoc eluctari poterat; quod toto cælo est sublimius. Ergo pectori Principis Theologici sol illabitur; ut jam nihil possit latere; quidquid in ejus latere continetur. Immortales tibi gratiæ Astrorum Princeps; quòd intimam illius pectoris gazam, sub aspectum minimè cadentem, tam clarè demonstraveris; ut non possit non videri: conjicimus, quas opes publicus hic mundi oculus custodiat in Theologorum Principe. Nunquam certè sublimiùs potuit sol ascendere; quàm ubi huc descenderet. suæ lucis sublimitate, vel in imo pectore summum Orbi fecit solstitium Princeps Theologicus. Et quis jam altissimum in illo solem Theologicum fore dubitet? dum prope ardentem Domestici sirii (quo Dominicus insignitur) facem aspicit. Nec defectus est lucis Theologicæ; quòd unus nonnisi, sed totius mundi oculus spectetur in Theologorum Principe: videlicet *quamvis centoculo sit nox oculatior Argô, uno plus cernit lumine lusca dies*: & in Theologico nostro Principe, plura ad unum

hunc

hunc mundi oculum eſt ſpectare, quàm ad millenos aliorum oculos. Ita nimirum ut ſublimiora clariùs rectiuſq; ſpeculentur Aſtronomi; obturatâ unâ vel ſponte cæcutiunt palpebrâ: ne vel in ſuis duplicitatem patiantur oculis. Quidni Diviniſſimus Theologorum Princeps unico mundi oculô ad latus ſuum retento, in Divina hac ſcientia ipſum adumbraret aut in ſe demonſtraret Deum; qui totus, tam unus nonniſi eſt oculus, quàm totus oculus. Ita videlicet ad ſolatium cæcutientis ſub obſcuro Fidei ſcientiæ Theologicæ, aut illius veluti Academiæ cæcorum, quam Hiſtorici novi orbis celebrant, quò illuſtrius aſtrum, eò minùs ſeſe geminat; & in compendio ſuam tuetur lucem; ut hæc ſit ſingularis: *nec ſol ſcilicet* (ut ait nonnemo) *Emm. Theſaurus in idea argutæ dictionis.* *eſſet ſol niſi eſſet ſolus; nec luna eſſet luna, niſi eſſet una.* Comitantur tamen in Doctore Theologico ſuum Principem aſtra; *ſolemq; ſuum ſua ſidera norunt*: dum in Aquinatis Diviniſſimi monumento, vel in extincti pectore, ſtellæ radiant. Ita Theologicus Princeps, in aſtra pæne non abiit poſt mortem; aſtra potiùs in illius tumulum abiere. Solem ergo eſſe quis ambigat, noſtrum Principem Theologiæ qui etiam tunc aſtris lucet, poſtquam occubuit. Spectate Illuſtrem Aquinatici funeris pompam: cælum ipſum ſeſe tumulo infert, veluti cum eodem tumulandum; qui illud ſuo pectore animabat, dum viveret. Quanquam nihil hic ſtupendum: ſic occumbenti ſuo ſoli allucere didicit an parentare cælum. Quanta tua vel in exiguo loculo magnitudo Diviniſſime Theologorum Princeps! ipſi Superi tot oculos intendere debuerunt, ut te ſuis luminibus complecti poſſent; cùm uno, etiam totius mundi oculo, totus nequires comprehendi. Cæcam nemo jam exiſtimet mortem; tot illi ſuos cælum concedit oculos; ut tantum (quantum orbis miratur) Theologorum Principem poſſit ſpectare. Novum habet Zoroaſtrem orbis in Theologico Doctore: in cinerem hic abiit; at cinis ipſe in ſidera. Sic occumbens Titan ſuperſtites ſibi relinquit Stellas; ut habeat quem ſuæ lucis poſſit facere heredem. Proſtratum

ſtratum

ſtratum gigantem humerò, exuſta Herciniæ nemora fumanti titione, extinctum ſolem Theologicum tam illuſtri favillâ noſcimus. O præclaras de Sole Theologico Reliquias! ò illuſtrem vel inter umbras tumulum? imò quid ajo tumulum? prodigiorum veriùs domicilium. Ergo alios Theologorum Principi nemo appingat radios; veris tot ſtellarum radiis illum coronant Superi; ut non pictam in eo fuiſſe lucem adumbrent. Hi nimirum ſplendores ſunt Princeps Theologice & vel ferales inter umbras Tibi affulgent; quos pertinaciſſimè vivus excludebas; ut videlicet omnem claritatem Tuis dares monumentis. Et quantam lucem habeant Tuæ ſapientiæ monumenta; perſpicuum eſt; dum vel unum tot aſtris reſplendet monumentum. Orbi univerſo ſpectandam exhibent, tot lumina Theologici Principis ſapientiam: in quam cæli ipſi toto pectore incumbunt. Summæ Vobis gratiæ Superi; quòd Theologico Doctori tot facibus allucetis; ut tantam illius profunditatem, ad tam copioſam lucem advertere poſſimus. Quiſquis ergo Theologorum Principem in profundo tumuli, imò in Nova etiam Foſſa, tot ſideribus ſpectat fulgere; agnoſcat ita omnia in illo eſſe profunda, ut nihil ſit obſcurum. Revolvite ipſius monumenta: quidquid ibi profundum eſt; cæleſtes elucidant Aſteriſci. Quantàm lucem ſcientiis dederit, dum ſcriberet; quantam claritatem habuerit, dum doceret; inde colligite: quòd etiam extinctus, tantam lucem ſuis affundat monumentis. Quàm clarum fuiſſe Principem Veſtrum creditis Theologi? cujus vel cineres ſunt tam illuſtres. Spectate quantum ſeſe cæleſtis flamma exaggeravit circa tam nobile pabulum! en totus prope Theologorum Princeps jam ſidus eſt! ſic nimirum ſol ſpectabilior eſſe ſolet, dum occumbit. Verum fuerit illud, *cælò tegitur qui non habet urnam*: Theologorum Princeps cælò tegitur etiam in urna. Terreſtris nempe hic Angelus inferri cælo non eguit; qui pridem ſibi illud in terras ſic intulerat, ut continuò ſecum ferret. Et quàm vicinum Theologis cælum fecerit, hinc

diſcimus

diſcimus; quòd illud uno jam nonniſi à nobis diſtet lapide ſepulchrali; ſub quo Thomam irradiat. Adhuc tamen Theologicus Princeps à cæteris longè diſtat mortalibus; quia toto cælo. Quanta ſit Theologici Principis ſublimitas, advertite; vel proſtratus par cælo eſt, & jacens etiam ad aſtra pertingit. Ita in cælum pæne abiit etiam eâ parte, quâ ſeſe terris reliquit. Ejus magnitudini nihil derogat; quòd in ſepulchralem Foſſam ſe demiſerit: ſic nihilò minor eſt Titan, poſtquam occubuit; ſic etiam in puteo, orbis eſt miraculum, ſolis coloſſus; nec minùs ſuſpicitur proſtratus quam dum ſtaret. Orbis te non capit Princeps Theologice: ultra zodiacum caput effers ſi aſſurgis; totum orbem & aſtra excedis capite, dum ſolis orbem geris in pectore: at etiam dum procumbis, cadentem tellus capere non poteſt; niſi aſtra quoq; occupes, & inter ſidera Te protendas. Nemo hactenus gigantum fuerat; qui etiam ſtando ad cælum uſq; pertingeret: Theologorum Princeps, vel jacendo in profundiore Foſſa, ipſa ſidera attingit; dum ab illis in urna tegitur. Ita non pedem duntaxat in terris ponens, ſed etiam procumbens, toto pectore inter aſtra verſatur; & adhuc majore ſui parte cælô eminet; dum nonniſi pectore tenus latet inter ſidera. Quàm ſublimis demum fuerit Theologorum Princeps; inde æſtimate: quòd ita ultra ſolem & cælum eminuerit; ut neq; ab ipſis ſideribus contingi poſſet; niſi prius procumbens ſeſe ſubmitteret. Summam illius ſublimitatem nemo eſt qui non videat; ſi Theologicam illius vel uno oculo aſpexerit ſummam. Quanquam, quantus ſit Theologorum Princeps, quis poſſit deprehendere? qui adeo in ſua ſublimitate profundus fuerat; ut nihil in ſe videre poſſet; cum eſſent omnia. Sed quid ego Oratorem, vel certè Hiſtoricum agam, in præclariſſimis Theologici Principis monumentis? dum tot ſtellas illius monumento apponit Numen; hoc eſt cæli linguas, dignos planè & Divina ſcientiâ Theologicâ & Theologorum Principe Oratores in elogium adhibet. Satis ſit mihi demonſtraſſe ſummum ſolis

 Theo-

Theologici solstitium, vel sub ipso ultimô lucis umbræq; fatalis æquinoctiô, ceu in novô Zodiaci signô, in Nova videlicet Fossâ exhibitum; ut vel tot *sidera testes intendunt oculos.* Quod verò ego in Theologorum Principe, Angelico nostroq; simul Doctore, hactenus demonstravi; Vestrum est simul, *Benedicti* planè *à Domino*; quorum ille Novam Fossam, vel unius sui monumenti sublimitate, ita explevit; ut & Claram Vallem summâ lucis suæ statione reddat etiam nunc clarissimam sol Theologicus; qui non alibi primam suæ lucis usuram quàm in Cassinensi Monte, non alibi supremam quàm in Nova Fossa, utrobiq; apud Vos suam voluit figere stationem. Ita non Mellifluus duntaxat Doctor, verùm & Theologorum Princeps, non alibi quàm apud Vos suam elegit vitam ponere; ut scilicet & spiritum illius & spirantem etiam nunc sapientiam exciperetis; quò in Vobis ille perennaturus viveret. Proinde non stellas crediderim; quæ in extincti Theologici Principis monumento spectabantur, sed soles; in quos, felicibus paræliis, Sol Aquinaticus, in Vestris monumentis in Vobis ipsis, sese replicat. Quidquid Angelici Doctoris est; & Vestrum est simul Seraphici Doctores Bonaventura ac Joannes Duns Scote: videlicet non esses Seraphicus Doctor; nisi priùs esses & Angelicus; imò tantò plùs etiam videtur Seraphicum esse Doctorem quam Angelicum; quantò ex sublimiori esset ordine Seraphinus quàm Angelus; nisi Angelicum nomen, omni etiam cælestium Intelligentiarum commune esset Ordini. Summum planè orbi Theologico exhibent solstitium, & ex Maximo Minorum Ordine primæ magnitudinis sidera Bonaventura & Scotus: adeo ut *Conventualium* nomen vel inde jure inditum existimem, quòd in illos omnia solis Theologici lumina convenerint, stationemq; ibi fixerint: inde à *Re Formaq;* simul derivatum titulum; ut orbem universum suâ Divinâ Scientiâ formare & reformare possint. Summum solis Theologici solstitium in illis quis non advertat? nisi quòd luminum Princeps, qui in uno Bove Aquinatico substitit; hic jam subsistat in Geminis, imò in universo Seraphici cæli

zodia-

zodiaco; & Angelicus Doctor Soli Theologico ſplendorem, Seraphici Doctores ardorem etiam tribuant. Ita Angelici Seraphiciq; Doctores, (Vos enim minimè hìc licet evolvere; quos domeſtica tegit Umbra, & ipsâ *ſe ſuâ probibet videri luce*; quamvis ut palam eſt, *ne memorem veteres ævo ſit gloria noſtro vivit - - - in vobis Suarez mentiſq́; profundus Aquinas.*) Ita inquam Angelici Seraphiciq; Doctores ſummum orbi Theologico exhibent ſolſtitium: Tu, (quem vix intueri hìc nobis feliciter deceptum licèt, minimè demonſtrare repugnante modeſtiâ;) Tu Mecænas Theologiæ noſtræ Munificentiſſime, hìc ſummum facis ſolis Theologici ſolſtitium; dum Theologicum Principem, Angelicum noſtrumq; ſimul Doctorem, cum ſua ſcientia Theologice, ac univerſitatem pæne Theologicorum Doctorum vel ab extero orbe advocatorum, huc inducis; ſtationemq; illorum perennem hic figis; adeo ut Tuô beneficiô, Sol Theologicus, (qui olim primam in Caſſinenſi monte, Supremam in Nova Foſsâ ſtationem fixerat;) hìc ſupra communem alibi ſuum curſum, novũ iterum ſummumq; orbi noſtro ſolſtitium debuerit inducere, perennemq; ſtationem figere in novo planè Zodiaci ſigno.

Horatius. *P. Słowicki Soc. JESU in Poemate de eadem Societate.*

Videlicet ſeu Karnkoviani primò Arietis, ſeu Lubieniani & ordine & munificentiâ ſuccedentis Uri, id eſt peregrini Tauri, inſigne ſpectemus; utrobiq; habet Sol Theologicus Celſiſſimum plane & Primatiale ſignum Zodiaci ſui; in quo ad ſummum ultra alia ſolſtitium, Athenæo huic eorum munificentiâ erecto faciendum, ſubſiſtat: ſive in Karnkoviano Ariete, (ex quo cornuta vel Theologis argumenta oriantur;) ſive in Lubieniani Uri transfoſſo Capite, (quod Bovi Aquinatico planè quadrat, ita ut ex illo veriùs quàm ex aperto Jovis capite, Theologica etiam Pallas prodire hìc poſſit & prodeat;) ſive potiùs in Geminis ſimul ad ampliorem ſplendorem, Theologico Soli placeat hìc ſiſtere. Jam ſi Celſiſſimum, nunc plane & polari & affini Polono Zodiaco refulgens, (quod impari elogio ſit ſub ROSA) Primatiale & Princeps CAPRICORNI In ſigne

 luſtre-

lustremus: consulite vel peritissimos Astronomos, sub hoc prorsus Faventissimô Zodiaci nostri Signô, hujus Cælestis planè cæloq; intenti sideris motu, & Publicus, & Theologicus Sol, suum habet hìc solstitium. Neq; hibernum credite id solis Theologici eo loci solstitium; cui videlicet summum sit umbrarum, lucis minimum; summam hìc potiùs lucem & sperate & spectate Theologi, ceu in æstivo planè solstitio: scilicet *cùm videritis folia nata*; (folia Theologica loquor vel recẽter hìc exarata, vel ab extero etiam orbe Munificẽtissimi Mecænatis liberalitate deducta;) *cùm*

Matth. 24. inquam *videritis folia nata; scitis* vel è sacris paginis nuperrimè evolutis. *quia prope est æstas.* Quid verò, dum recenter etiam Beneficentissimum Gałczyniani Ursi Astrum suspicio? novum prorsus in illo Zodiaci Signum, idq; ad perennem Solis Theologici cursum, adverto: imò integrum etiam Zodiacum, tanquam luminum splendorumq; compendium in ipso aspicio. Quid enim Zona illa? (quâ ad tot meritorum coronam, cinctus divisusq; est per medium in orbis cæliq; commoda, Avitus Mecænatis Theologici Ursus;) quid inquam Zona illa? si non cælestis planè Zodiacus, & medium & circulum ad cursum perennem Soli Theologico exhibens. Ut Insigne hoc Animal, in cæli orbisq; commoda sese partitur; ita in culmine vel divisum, Mitris ipsis supereminet; ut plantas nonnisi summæ quoq; attingant coronæ. Nimirum ubi Mecænas Munificentissime, quàm omnia summa ipse mereris, tam summam hic Theologicam plantas; quidni vel summa plantas cingat corona? quas gratiarum comes sequitur. Ita nonnemo hìc lusit, seriò Amplissimæ Beneficentiæ cultu; quod Theologicæ gratitudini liceat relegere: *Ursa minor majorq; Polo est; Gałczynius Ursus, an non maximus est, omnia summa tenens? summa petit plantis, summa & Theologa plantat; summum & in hac planta quis neget ergo fore?* Quis inquam neget Te summum vel in planta Mecænas Amplissime? dum summa & summam Theologicam plantas. At & Theologica summa, planè hìc summa est Tuâ Munificentiâ, summa ad Tuæ

gloriæ

gloriæ cenſum perennem; dum non aliter plantatur quàm ad plantas coronatas; ut planta hæc Theologica, ad perennem Munificentiſſimæ gratiæ coronam ſemper excurrat. Jure proinde ipsâ Gratiarum actionis die, principium ſumpſit Theologica hìc ſcientia; ut, quàm non unius ſed tot gratiarum ea fuerat argumentum; ita perenne ſciret hìc ſibi futurum feſtum actionis gratiarum. Certè locum hunc, (ubi iſtam ipſam Cathedram, vix non cathedram peſtilentiæ effecerat, dum infecerat, auſa hoc ipſum Lycæum graſſans nuper Caliſſii lues invadere;) locum inquam hunc Theologicum, Gratioſum Sacerrimæ Charitatis Victimæ nomen, peſtilenti doctrinæ ſemper more Theologicô infeſtiſſimum, ſupremo ſuo Spiritu hìc relicto, tam gratiis quâm Sacræ Scientiæ Theologicæ pridem veluti conſecravit. Optimo ſimul omine, Magni Gandienſium Doctorum Principis & Principum dein Doctoris Borgiæ, luce, Divina hìc Scientia ſub Beneficentiſſimis Auſpiciis exordium accepit; ut videlicet ille Gandienſium Doctorum Primas, Primuſq; in illa (quæ prima noſtris Doctoribus ceſſit Academia) Princeps, Primatialem hanc eò loci Archi-Theologicam Scientiam initiaret; vel ut, qui initiatas hìc ſcientias primus olim probarat, idem ad ſummum illas deduceret; vel Principem etiam inter omnes alias, Munificentiſſimâ Liberalitate futuram hìc Divinam Scientiam, oſtenderet: adeo, ut vel Culmenſis olim Theologica Scientia debuerit deſiſtere, Culmenſiſq; Theologicus Doctor huc demum transferri; quòd Celſiſſimum Culmen, huic potiùs Primatiali deberetur Theologicæ Scientiæ. Fulgeat ſuæ Antiquitatis jure Divina Scientia in Claro Collegio; Comitem habeat vel Thaumaturgam Petri Umbram; ſubſiſtat in præclaro Leonis Aſtro; Sandomirienſes etiam ſimul inter Stellas micet, *velut inter ignes luna minores*: in Balthico tandem mari, Aquinaticum habeat vel quærat altum: hìc ſummum, hìc Celſiſſimum planè culmen illi tenere licet, in Primatiali Athenæo; ut jam non Logicæ duntaxat ſummulæ Caſſilii, Caliſſio noſtro ſint

veluti innatæ, ſed Theologica etiam ſumma illi perenniter debita. At parum eſt; quòd Scientia hìc Theologica, ſub munificentiſſima Mecænatis liberalitate Celſiſſimum culmen teneat: vel exteros ille ſoles collegit, ad ſummum Solis Theologici Solſtitium; nec unam ipſi ſatis erat, ad lumen gloriæ, Caliſſienſem hic erigere Theologiam, niſi ſimul Romanam, Hiſpanam, Auſtriacam, Gallicam, & tãtùm non Orbis univerſi Theologicam Scientiam, in ſuis voluminibus gratioſiſſimè huc induceret; ſimulq; intermiſſum Athenæum noſtrum Philoſophicum reduceret. Quidni enim Sacram Scientiam Theologicam, Religioſa, (id eſt ſacra quoq;) Logica, affinis utiq; comitaretur? Quanquam quid hìc voluminibus opus? ubi & ipſum Mecænatis, planè eſt Bibliotheca Caput, tam ſummâ Theologicâ quàm ſummîs reliquìs ſcientiîs virtutibuſq; Theologicîs ac planè Cardinalibûs inſtructiſſimum. Vel ipſa hìc, (*quæ integerrimas aliorum* ſcientias *ſuperaverant,) Fragmenta,* an veriùs ſummorum gemmæ Doctorum, ad ſummam eſſe poſſunt Scientiæ Theologicæ (ſub inaugurato ad fauſtiſſima quævis auſpicia Stephani nomine & Numine) coronam, ad ſummum Solis Theologici Solſtitium; adeo ut â Faventiſſimo Luminum Principe, ſtabiles hìc Scientiæ Theologicæ ſperare liceat RESPECTUS, tam ſemper repetendos quàm IDENTICOS. Certè ad inauguranda eò loci Scientiæ noſtræ Theologicæ auſpicia, nihil felicius obtigiſſe potuit; quam Caput illud, & ſimul capitis noſtri imò Capitum Corona: nihil fortunatius ad fixam hìc & ſummam Solis Theologici ſtationem, quàm ſublimiſſimus ille Solis planè Increati RESPECTUS, tam faventiſſimus quàm IDENTICUS. Ad invidiam cæterarum gentium dixerit olim Admirabilis Hiſpano-Romanus Theologorum Doctor Antonius Perez, non alia majora capacioraq; ſibi optare ſe ingenia quàm Polona: nos jam ad fortunatiſſima Divinæ Scientiæ hìc auſpicia, ad ſummum Solis Theologici ſolſtitium, non alium optamus Admirabilem Theologicum Doctorem, ſub quo & eruditi fuerimus &

etiam

etiam nunc erudiamur; quàm cui idem nomen obtigit, eadem eſt Divinæ Scientiæ ſublimitas; ut & Romæ Doctorem ageret, vel cùm ab illa diſceret. Jam quid illuſtrius ad ſummum hìc Solis Theologici ſolſtitium, poterat contingere, quàm illud Nomen gloriæ, illud Theologici Doctoris Nomen; quod omnia noſtra Theologica Lycæa hiſce temporibus erecta, vel rexit glorioſiſſimè vel erudivit: adeo ut noviſſimum iſtud Archi-Theologicum Lycæum, non aliter aliis antè erectis ultimum acceſſerit; quam ut ſupremum eſſe poſſet, & tam novitate quàm dignitate Celſiſſimum: niſi quòd illi alter Cathedræ Socius, obtigerit planè etiam noviſſimus; ut vel tenuitatis propriæ conſcientia fateri cogitur: omnia tamen adhuc, ad ſummum Scientiæ hic Theologicæ culmen, (ubi ad Triarios Theologicos ſcientiarum res devenit,) Stephani Nomen coronat.

Ita Celſiſſimum hìc Scientiæ Theologicæ culmen, ſummum Solis Theologici ſolſtitium, ſub ipſo prope æquinoctio in novo plane Zodiaci Signo imò in novo Gałczyniani Urſi Zodiaco, ego demonſtravi; Tu feciſti Mecænas Munificentiſſime. Quidni enim ſummum apicem teneret hic Scientia Theologica; cui tot literarum imò Doctorum apices, & verbis ut nummis & nummis ut verbis utendo, liberaliſſime impoſuiſti. Proinde minimè hìc ſolicitus titulò gratitudinis de elogio Tuo Theologus; cui videlicet, tot tantiq; Doctores, tot voluminibus eloquentes, Tuæ liberalitati obæratiſſimi, ſunt in promptu. At ſi fortè vel ad ſummum Solis Theologici ſolſtitium, quidpiam obſcurum contigerit; cum non ignoretis A: quemvis eò magis decolorem fieri prope ſolem, quò magis hic ſublimem ſe exhibet: à geminato, hoc eſt ultra primas partes Mitris ipſis eminentes, ſecundò affulgente, Gałczyniani Urſi ſidere, vel ſub profundam noctem, ſecundiſſimum ſperare & habere hìc licet Theologis ſerenum. Videlicet geminatum in Avito Gałczyniani Urſi Inſigni Sidus, an non meritò Majorem Minoremq; Urſam, Cæleſtem

planè, existimem? à quâ sub obscuro Fidei Theologica Classis abundè habeat lucis; ne in Aquinâtico aberret alto: nisi quòd cælo ipsi sit Ursa Minor Majorq; nonnisi; jam Gałczynius Ursus, vel Mitris supereminens, planè est Maximus. Ergo vel Maximâ hac præmissâ, concludit & Theologus & Astrologus Theologicus,

Vrsa Minor Majorq; vale: Theolloga Classis
GAŁCZYNIO URSO *jam suum cursum reget.*

Biblioteka Jagiellońska
stdr0026787